



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

illius condemnanda, non satis peritè (dempris aliquibus) maligni esse valuerunt, ne nimium stolidi viderentur, utique gratius habituri, si foret Societas inordinatior, & dissipatior: quanquam arbitrati, ab ea animas, sanandi specie necari, dum eas primum ad Romanam fidem, inde ad servandam Dei legem adducit; Constitutiones Ignatij velut exquisitam symphoniam laudarunt; sed incantamenti verborum aptatam, audientes in monstra totidem mutaturis. Verumenimverò (quod in architectos, & sculptores egregios Michaël Angelus aiebat) qui oculum habet pro circino, & in eo quod cernit opere, artis solertiam percipit, partiumque consensum ex quibus coaluit, de hoc profecto Ignatij opere, seu Dei potius Ignatium agentis, nec sentire aliud, nec loqui poterit, quàm quod olim Philippus Sega Cardinalis, *Artem qua id corpus tam pulchrè, tam aptè, tam excellenter coagmentatum est diuinam prorsus non humanam fuisse, & eius architectum Ignatium, non tam peritiâ labore partâ, quàm lucè, è cælo impertita, illud coagmentasse.*

## VIII.

Gregor. 13.  
Quacumq; &  
Quanto fru-  
tuosius.

Ecclesia Ca-  
tholica

Et hoc supremi Pontifices facillè aduerterunt, qui ex alta boni publici specula, illuminata diuinitus acie, prospiciunt longius, ut iure debeat ipsorum iudicium tanquam regula sentiendi, in subiectos populos transferre; alioqui sensuros, & affectu magis, quam ex iudicio, & vel admodum parum, vel transuersum à recto visuros. Perspectum itaque Pontificibus fuit Societatis institutum *iuxta diuina vocationis dispositionem emanasse.* Atque in eo ita conferendo, ut suum vtrumque in scopum, propriæ scilicet, aliorumque sanctitatis pari felicitate contenderet, *Spiritum sanctum qui bona memoria Ignatium Loyolam eiusque socios excitauit, media etiam præclara, maximèque opportuna huius sedes ministerio, iis tribuisse, atque confirmasse, &c.* quæ illic enumerat Pontifex. Ex quo deinde velut indubitato principio, hæc regula exitit quam in Societatis causa Gregorio XIV. Spiritus sanctus infudit certissimam, *quoniam, inquit, neque tranquillitati, neque firmitati huiusmodi Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum Instituta firmiter inconcussa seruentur, iisdemque modis feliciter progrediantur, & crescant, quibus à fundatoribus, Domino inspirante, atque hac sancta sede approbante primum fundata sunt.* Et paulò inferius, *In regularis disciplina, ac spiritualis perfectionis, non exiguum detrimentum vengeret, si ea quæ à fundatoribus sanctè statuta sunt, atque ab illo vniuerso Ordine sæpius in illius Generalibus Congregationibus recepta, & approbata; & quod præcipuum est, ab hac sancta sede sancita, & confirmata sunt, non solum mutari, sed quocumque prætextu impugnari contingat; &c.* planè ut picturis, non nemo scripsit accidere, quarum si aut ætas, aut casus, colores, aut elegantiam fuscarent, non sunt mutandis lineamentis, figurisque corrigendæ, sed rediuiuis coloribus in pristinam speciem excitandæ, ut suum non modò nomen retineant, verum etiam seipsas. Quod in Societatis quidem rebus quamuis initio, præferret aliquid fortassis probabile, sed eam tandem haud minùs esset deicendum, quàm ædificia  
motis



motis fundamentis, necesse sit subruī. Idque sapienter vnus Pontificum at-  
tigit, qui molitiones quorundam referens, ad subripiendam à Pio V. sanctæ  
mem. mutationem aliquam in agendi modo quem tenet Societas [ his, in-  
quit, & talibus impugnantium inuentis si detur aditus, Societatis structu-  
ra funditus corruat ] & cum ea simul id emolumentum quod suorum su-  
dore, & sanguine Societas, Ecclesiæ parit. Quare (præfatur grauissimè  
Gregorius XIII.) *eius Instituta tanquam fundamenta eius presidij, quod Ca-*  
*tholica religioni impendunt, immota, atque inconcussa, aliorum etiam Rom.*  
*Pontificum exemplo debemus Apostolica auctoritate iueri.* Postremò vt qui-  
uis intelligat Constitutiones Societatis, statuta, & regulæ, decreta, &  
quælibet Instituti pars, quam pulchrè cohæreant, quam securitatem iis  
tribuerit Apostolica testificatio; instar omnium sit, quod ab cognitoribus  
Rom. Rotæ, Papales Constitutiones nominantur, cum multiplici Institu-  
ti nostri laudata confirmatione ab Iulio III. Gregorio XIII. & XIV. & Pau-  
lo V. *per quorum*, inquit, literas confirmatur Institutum, Constitutiones,  
*ac statuta & decreta*, & subdit, *ita vt dubitari non possit de validitate dicta-*  
*rum constituutionum debeantque censei papales.* Et hoc illa demonstrat ratio  
singularis quod diserto Pontificis iussu compositas, sanctus earum auctor  
statim initio testatur; tum quod à Paulo IV. Cardinalium quatuor, seuero  
examine subiectæ, integram ex eo tulere approbationem; Inde præter, ac  
post eundem Paulum, Pontifices quatuor, maioribus eas diplomatis, &  
*motu proprio*, & *ex certa scientia*, & *ex plenitudine potestatis*, firmas esse  
iusserunt, eamque approbationem ita omnibus, & singulis tribuerunt, vt  
si singulas verbatim Constitutiones, Regulas, statuta, decreta, &c. suis  
diplomatis expressissent, idcirco hunc illis vti Papalibus constitutionibus  
honorem deferri, pœnis grauibz imperarunt, ne quis illas ausu temera-  
rio damnare, vel impugnare attentaret, ne in dubium quidem reuocare, bo-  
ni licet maioris colore, ac studio enucleandæ veritatis, ipsis quoque So-  
cietatis hominibus, eiusdem imperij religione comprehensis legantur hæc  
omnia ex Constitutione *Ecclesia Catholica Gregorij XIV. Vt perturbato-*  
*rum, & contradicentium audacia coercetur, ac ne ipsi, vel pernicioso illo-*  
*rum exemplo alij in posterum, que ab hac Apostolica sede semel stabili-*  
*sunt, præcipuè circa regularium Ordinum Institutionem, & Confirmationem,*  
*in quibus tantum ad eandem sedem manus apponere spectat; impugnare, aut*  
*eneruare, impune præsumant. aut villo modo valeant, Præcipimus in vir-*  
*tute sanctæ Obedientiæ, vniuersis, & singulis personis tam secularibus, quam*  
*quorumuis Ordinum Regularibus, cuiuscumque status, gradus, & præemi-*  
*nentiæ existant, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali, aut*  
*maiori Ecclesiastica dignitate, seu Cardinalatus honore, vel mundana quavis*  
*auctoritate, seu Excellentia præfulgeant; ipsis vero Regularibus, etiam dictæ*  
*Societatis religiosi, sub pœnis Excommunicationis læ sententiæ necnon inha-*  
*bilitatis ad quæuis officia, & dignitates, vocisque tam actiue, quàm passiuæ priua-*  
*tionis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, (quarum absolutionem, nobis*

Bul. Ascen-  
dente Domi-  
no.

Decif. 477-  
n. 6. p. 4. re-  
cor.



ac successoribus nostris dumtaxat reservamus, ne dicta Societatis Institutum, Constitutiones, aut Decreta, vel ex eis quidpiam, &c. maioris boni, aut zeli, seu quouis alio questio colore, aut pretextu, directè, vel indirectè, impugnare, vel immutari, alterari, aut formam aliam, seu rationem circa ea induci curare, &c. audeant, &c.

## IX.

Divisio constit. S. Ignacij in decem partes, earumque notus.

Indicata nunc leuidentse atque in genere, structura Instituti ab Ignatio exædificari, sequitur imprimis vt aptas inter se constitutionum partes videamus, earumque distinctam conformationem, prout ab illo præscriptæ sunt; rationum deinde seorsum pondus quibus auersus est, seu dicam verius, à Deo veritus, quædam in eas inducere, quæ sanctè in alios Ordines inducta seruantur: Corpus ergo Constitutionum decem partibus aptauit, ita nexis, vt posteriores à prioribus orientur, eo nascendi crescendique, ac sui tuendi ordine, quem religiosæ vniuersitatis bene compositæ iunctura deposcit. Pars prima dotes numeratò ponit, quibus esse præditos oportet qui admittendi sunt in hoc vitæ genus; nauos item qui ab eo arcent, si sciantur; si vero ignorentur admissionem irritam faciunt, perperamque adscitos excludunt. Cum autem qui cooptati sunt, expectationi quam fecerant, non omnes inter experimenta respondeant, nec sit ineptis Societas oneranda; parte altera causas, modamque præscribit, quo dimitti ab ea debeant: qui vero retinentur horum multos in annos periclitatio tenditur, priusquam Societatis corpori accedant: variis itaque auxiliis prouehendi sunt in cursu pietatis, & egent regula, quæ contineantur in proposito fide, fiantque habiles ad ministeria, quæ quilibet pro virili sua præstiturus est salutis alienæ, vtrique pars tertia Constitutionum abundè prospexit. Sed ministeria quæ ex instituto Societas maximè profitetur, cum supellectilem exigant literarum minimè vulgarem, de illorum studiis, progressu, ordine, gradibus, partitione scientiarum, & linguarum, pars quarta præscribit, & de totius Vniuersitatis dispositione: de regendis quoque sustentandisque Collegijs ibidem agitur, in quibus seorsim à Professis domibus habentur scholæ. Et eatenus quidem de necessariis ad professionem votorum quatuor, quæ Societatis corpori inseruntur, qui suam in literis, & virtute præstantiam, cumulatè Societati probauerint. Quare parte quinta condiciones exponuntur, tum gradus illius Professorum; tum inferioris alterius spiritualium adiutorum, in quo illi consistunt, quibus mediocritas sua superiorem negauerit. Iam Societati intime adiunctos, consequens fuit edoceri primum, quales in seipsos deceret se gerere, idque præcipue votis religiosè obseruandis, quod docet sexta pars; tum erga proximum, obeundis Societatis muneribus, quibus eorum iuuatur salus; missionibus præsertim, iubente Pontifice, vel Generali Præposito susceptis, vt septimo loco edicitur. Quibus huc vsque omnibus Societatis corpus formatum est, caput autem illius, quæ consequuntur partes duæ propius attingunt; docet enim, & sancit Octaua Societatis cum illo nexum, & de legendo illo & conuentu ad eam electionem

nem